

spondit Gregorius, quia anime videnti Creatorem angusta est omnis creatura : eo quod per lumen divinum mentis intima simul laxetur, tantumque expandatur in Deo, ut superior existat mundo et semetipsa. « Videntis ergo Deum Benedicti animus dilatatus est, in sine difficultate videret omne, quod infra Deum est; et in illa luce quæ exterioribus oculis fulsit, lux interior in mente fuit, quæ videntis animum cum ad superiora rapuit, ei quam angusta essent omnia inferiora, monstravit. »

Simili modo S. Bernardus meditando adeptus est intelligentiam sacrarum Litterarum, indeque sapientiam istam, et facundiam melleam; adeoque ipsemet dietitibus se in sacræ Scripturæ studio non alios, quam fagos et quercus, habuisse magistros, inter quas nigrum orando et meditando, omnem sub se positam et expositam visus est sibi videre sacræ Scripturam, uti ait auctor Vite ejus lib. III, cap. III, et lib. I, cap. IV. Idem plane Propheta accidit. Scitum illud Iamblici: Pythagoræ doctrinam, quia divinitus tradita (ut ipse ementio suis persuaserat), non nisi quopiam deorum interpretante, intelligi posse; postquam itaque discipulo Dei opem, qua tantopere indigeat. Judei a Deo extorres humi serpunt, aridoque ita inhaerent cortici sacrorum codicum, ut nullam medullæ dulcedinem degustent, nugarum tantum insitiores, et fellabellarum opifices. Hæretici quia æquor tam vastum et dubium, sui nixi ingenii remis et velis, nullo Cynosura, cælestive eujuspiam sideris contuitu pervagantur; nunquam ad portum evadunt, medisque semper factantur fluctibus, et quæ ad nauseam legunt, non intelligunt, nisi quæ quoad libertatem ventris, et subventricæ voluptates, abdominis mancipia capiunt, et vero rapiunt. Quare non hic Delio natatore, sed Spiritus Sancti cœlitumque ducta est opus, utque in maris stellam defixi Mariam collustrantem hoc iter ingrediamur: illa faciem præferat.

Daniel vir ille desideriorum, somnia regis Chaldei, et numerum 70 annorum exilii Israelis, a Jeremia consignatum, oratione assecutus et a Gabriele edoctus est.

Ezechiel aperto ore (utique ad Deum) libro in quo lamentationes, carmen et vae, intus forisque descripta erant, a Deo cibatus est.

Gregorius, cognomento Thaumaturgus, beate Virginis cliens, ejus in somnis monitu jussuque, a S. Joanne, principii ejus Evangelii explicationem, symbolo divinitus edito, quod contra Origenistas opponeret, accepit; auctor in ejus Vita est Nyssenus, qui et symbolum hoc refert.

S. Chrysostomus, ejus tanta fuit erga S. Paulum pietas, commentarios in ejus epistolas dictanti, quidam S. Pauli effigie astare visus, in aurem quæ scriberet suggerens.

Ambrosius, si S. Paulino in gestis ejus credimus, cum Scripturas pro concione tractaret, pu-

gnaretque is pro Filii divinitate, visus est angelum habere inspirantem quemcumque diceret: quæ spectacula novitate commotus arianus is, cui hoc cernere datum, veritatem Catholicam amplexus, hæresin ejuravit.

S. Gregorio Magno, cujus vel prima in tropologia est laus, commentanti scribentique, Spiritum Sanctam columbæ specie insedissee, fidem facit oculus testis Petrus Diaconus.

Quare divinus ille Justinus Martyris catechista, Prophetarum ei lectionem suadens, hanc pariter ei dabat methodum: « At tu votis et precibus ante omnia, tibi lucis portas aperiri opta: neque enim ab aliquibus perspicitur et intelliguntur, præterquam si cui Deus et Christus eorum concesserit intelligentiam: » ut non sine causa S. Thomas Scholasticus princeps, et in Scripturis apprime versatus, sacros codices didicerens, tantum spei in propitiæ numine ponere consueverit, ut ad difficilliorum quæque Scripturarum locum intelligendum, præter orationem, etiam jejunium adhibere solitus narretur. Precibus ergo Deoque maxime nitendum, ut in sacrarum hooce sum nos ipse deducat, et sacra oracula patefaciat.

Atque hinc consequetur ultimum, ad disciplinam hanc peropportunum, ut mens nostra terrena fece perpurgeta, et passionum discussis nebulis, sancta et sublimis effecta, apta habilisque reddatur ad cœlestia hæc dogmata haurienda: neque enim, uti pulchre Nyssenus, divina, et cognatum illud lumen, quodque mente ipsa cernitur, vacuo et libero sensu aspicere quis potest, cum is prava quadam atque inerudita anticipatione, ad humiles res et luhulentas aciem intendit. Quare ut quis venas ac medullas cœlestium ditorum subeat, utque profunda et abscondita sacramenta limpide contempletur, elevatus et sanctus cordis oculus sit oportet.

Non dubitat S. Bernardus asserere (ad Fratres de monte Dei) neminem in sensum Pauli ingressurum, ni prius ejus spiritum imberberit, neque Davidicæ intellecturæ carmina, ni prius sanctos psalmodum affectus induerit; et omnino quo spiritu sunt scriptæ sacræ Litteræ, eodem et intelligendas esse. Egregie vero in *Cantica*: « Hanc veram, inquit, germanamque sapientiam non lectio docet, sed unctio; non littera, sed spiritus; non eruditio, sed exercitatio in mandatis Domini. Falleris, falleris, si te putas invenire apud mundi magistros, quam soli Christi discipuli, id est mundi contemptores, Dei munere assequuntur. » Auctor est Cassianus, Theodorum monachum sanctum, tam rudem, ut nec elementa sciret, tam peritum tamen divinarum voluminum, ut a viris doctissimis consuleretur, dicere solitum: « Plus in vitis extripandis quam libris evolvendis operæ ponendum esse; quod his impulsis, confestim cordis oculi cœlesti lumine admittentes, sublato velamine passionum, sacramenta Scrip-

angela.

Gregorius Spiritus Sancti in specie columba.

S. Thomas in principio adhibens est intelligentiam S. Scripturæ.

47. Quarta dispositio est sanctitas.

48. Methodus auctoris.

turari velut naturaliter incipiunt contemplari. » Sane hæc vite sanctitas Franciscos, Antonios, Paulos, litteratos altissima eloquiorum Dei mysteria et ransa edocuit vel maxime. Quare si sancta anima, si precibus nixus, Deoque fretus luc accedas, seduloseve adsit labor, ut nulla transeat dies, qua (quæ de Cypriano Tertullianum in dies lectante, memorat S. Hieronymus) non postules: « Da Magistram; » superabis ceteri facilitate quidquid hic est difficultatis, recreabitque quod fulget in cortice sapientiæ, sed pascet suavius quod in medulla est cœlestis adipis: neque verebère tandem quamvis veterosum hæreticum, etiamsi omne Biblicum opus memoria calleat: hoc enim fere est omne eorum studium, quo nos impetunt: quibus non iisdem armis occurrere, nobisque nostra ab injustis possessoribus vendicare docet; ut audacter hoc generi eum is manus conserentes, suis eos telis debilitemus. Neque rursus cathedram extimesces, licet doctam et celebrem, sed securus fidensque, affatim doctis conceptibus, sententiisque sacræ solide germaneque instructus, Ecclesiasten ages. Porro Scholastica nequitiam id sibi noxæ duces, sed lubens, quasi germanæ suæ auxiliatricem accipiet dabitque dextram, ac partiatur operas utrique profuturas.

Ad me quod attinet, scio sentioque quid molis sustineam, quamque invia hactenus caleanda sit via: aliud enim longe est prolixos evolvere commentarios, ambiguo sepe fructu; aliud breviter sensum et Patribus reddere, historicumque allegorico jungere, et alterum ab altero discernere. Scio, Nazianzeno duce, orat. 2 De Paschate, media via inter eos, qui crassiore ingenio litteræ immorantur, et eos, qui sola allegorica speculatione impense delectantur, incedendum: alterum enim Judicium est atque abjectum, alterum ineptum ac somniorum interpretis, parique utrumque reprehensione dignum; et quod S. Augustinus, lib. XVII De Civit., cap. III, docet, multum mihi audere videntur, qui in Scripturis omnia prorsus significationibus allegoricis involuta esse contendunt, uti in hoc extremum devius: Origenes, dum historicam figiungens, imo elidens, veritatem, pro ea sepe quidpiam symbolicum supponit: dum Evæ ex Adami costâ formationem, spiritualiter accipiendam putat: arbores paradisi, angelicam fortitudinem: tunicas pelliceas, corpora humana: et plura similia mystice interpretatur, atque « ingenium suum, » nimis utique præcellens, « Ecclesiæ facit Sacramenta: » sic Hieronymus, lib. V in *Isaiam*. Ideoque illam censuram incurrit: « Ubi bene Origenes, nemo melius; ubi male, nemo pejus. » Ita Cassiodorus. Verum quis nobis hæc Cœdipus interstinguendo definit? Quod de sacerdotibus dixit S. Hieronymus: « Sacerdotes multi, sacerdotes pauci, » hic vere de interpretibus dixerim: Interpretes multi, interpretes pauci. Ambrosius et Gregorius mysticam fere red-

dunt sensum; Augustinus, Chrysostomus, Hieronymus et ceteri Patrum nunc historicum, nunc mysticum eadem orationis serie persequunt, ut plusquam Lydio opus sit lapide, ad historicum, qui fundamenti vicem tenet, in Patribus vestigandum. Jam quam paucos interpretum invenire est, qui Grecis et Hebrais imbuti fontibus, geminam eorumdem phrasin reddiderint, eosque nostræ editioni per omnia conciliarint? Quid ergo? desudandum hic mihi video; entendumque, ut multa legens, multa disquirens, apiculas imiter, et mellilegium e floribus ad id aptioribus, lecto examine conficiam: ut historicum primo sensum, exacta discussione vestigem; siubi is apud varios erit varius, indicabo: atque in tanta opinionum multitudine, quæ anxios sepe fluctuantesque tenet et obtrahat auditores, eum qui maxime textui consonus est, præferam et seligam. Quæ in re Vulgatam semper, decreto Concilii Tridentini, editionem tuendam duxi. Hebræa vero siubi dissonare videantur, quæ hæreticis respondeamus, Vulgatæ consentientia observentur; et si quæ alium, nostræ tamen non adversum, plium doctumque suggerant intellectum, eum afferam; sed ita, ut Latinis Hebræa reddam verbis: ut et qui Hebræa nesciunt, ea assequantur; et qui sciunt, fontes consulere possint; verum hæc omnia parce, et non nisi ubi res exigat.

Quod ad Rabbinos attinet, nulla mihi cum eis erit communitio; nisi qua parte cum Catholicis doctoribus conspirant, aut Christianos, et maxime S. Hieronymum, ut in multis deprehensum est, tacito nomine sequuntur: ceteroqui genus hoc hominum vulgare, abjectum, hebes, omnique litterature expertis jam inde ab Hierosolymorum vastitate, qua tota gens regno, civitate, iudicio, templo, litteris exulta et derelecta jaect, juxta Osese vaticinium, sine rege, sine principa, sine sacrificio, sine altari, sine ephod, sine thephaphim. Mysticam vero intelligentiam adeo nunquam ipse comminiscar, ut suis semper eam tribuam auctoribus, et si ubi ea erit illustrior, paucis complectar: alias unde petenda sit, digito ad fontes intento monstrabo. Porro hæc omnia majori brevitate faciam, quam feci in Epistolas Paulinas, ut universum Biblicum curriculum paucis annis et tomis ad calcem (si Deus vires et gratiam dederit) perducam. Quam vero hic indefessus requiratur labor et studium cum acri iudicio, ut Græca, Hebræica, Latina, Syra, Chaldæa, lectiones codicum variantes consulas; Patres Græcos, Latinos; recentiores Interpretes in diversissima abeuntes, adeoque prolixos evolvas, de singulis censuram feras; quid error sit, quid fidei, quid certum, quid probabile, quid improbabile, quid litterale, quid maxime genuinum, quid allegoricum, et tropologicum, anguicium; omniaque distilles, et in tria verba conferas; sæpe ipse sensum litteralem genuinum invenire, et primum glaciem perfingere debeas, non credat nisi

expertus. Felix auditor et lector, qui compendio docentis labore hoc omni fruitur. Doctor martyrium avert, et pro sanguine spiritus nobilissimos Deo consecrat et exhauriat, cum fisque oculos, cerebrum, os, ossa, digitos, manus, sanguinem, succum omnem, vitamque ipsam impendat, et lento martyrio ei reddat, qui primus suam, Deus, pro nobis hominibus dedit. Fortitudinem meam ad te custodiam: non quæstum, non plaudus, non gloriæ fumos aucupabor: culpent, laudent, plaudant, plodant, non morabor: non tam stultus, nec tam parvi animi sum, ut tam vili vanitate labores et vitam meam vendam. Equis, si cum D. Thoma nuntium sæculo remisit, et a Christo e cruce audiat: « Bene scripsisti de me, Thoma; quæ ergo erit merces tua? » non statim cum eo respondet: « Non alia quam tu Domine, » merces mea magna nimis? mihi mundus crucifixus est, et ego mundo; opera mea, non mea, sed tua sunt dona, tibi tua reddo; tu docuisti meam infantiam, viam in invio ostendisti, infirmitatem mentis æque ac corporis corroborasti, tenebras tua luce dispulisti: quia quæ infirma sunt mundi eligis, ut confundas fortia; et ignobilia mundi, et contemptibilia, et ea quæ non sunt, ut ea quæ sunt destruas, ut non glorietur in conspectu tuo omnis caro, sed qui gloriatur, in te uno glorietur. Quid ergo? omnia poma nova et vetera, dilecte mi, servavi tibi: ego dilecto meo, et dilectus meus mihi, qui passetur inter lilia; pone me ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum, quia fortis est ut mors dilectio, dura sicut infernus æmulatio; fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur; sed et erit post myrrham hanc, botrus Cypri dilectus meus mihi, in vineis Engaddi. Quod ut cumulate præstet, Sanctos omnes, et maxime tutelares, æternæ Sapientie matrem Virginem, S. Hieronymum, et quem præ manibus habemus Mosen, assidue rogo, ut sicuti S. Paulus D. Chrysostomo, ita ipse mihi quasi angelus magistralis assistat, et mihi scribendi, aliis legendi, utrisque intelligendi, eademque sapiendi, volendi, perficendi, aliosque ea docendi et persuadendi ductor sit et doctor, ad consummationem sanctorum, in opus ministerii, in adificationem corporis Christi, ut crescamus in illo per omnia: donec occurramus omnes in unitatem fidei, et agnitionis Filii Dei, in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi, qui est amor noster, finis, meta et scopus omnis cursus, studii, vitæ et æternitatis nostræ. Amen.

SECTIO SECUNDA.

De usu et fructu Pentateuchi et veteris Testamenti.

Sunt nonnulli, qui vetus Testamentum quasi Judæis proprium, Christianis non æque utile, aut necessarium; ac Theologo sufficere, si Evangelia,

si Epistolas sciat et intelligat, sibi persuadent. Persuasio hæc, quia practica, practicus est error: si enim speculativa sit, hæresis est; utraque noxia, utraque eliminanda.

Fuit hæresis Simonis Magi, ejusque sectatorum, Marcionis deinde, et Caribei Persæ (quem sui Manem, et Manicheum, quasi manna effusorem, honoris gratia nuncuparunt), atque Albigenium, et nuper Libertinorum, necnon Anabaptistarum quorundam, vetus Testamentum cum Mose proscriptentium; sed dispari fundamento. Simon, Manichei et Marcionite vetus Testamentum a sinistra virtute, et malis angelis editum docuerunt: hoc enim Testamentum, inquit, Deum quemdam describit, qui ante lucem in tenebris ab æterno versatus sit, qui veterit homini sumer cibum scientiæ boni et mali, qui in angulo paradisi latitavit, qui angelis paradisi custodibus indigeat, qui ira, zelo, imo zelotypia laboret; indignantem, vindicantem, ignorantem et interrogantem: Adam ubi es? Libertini non litteram, sed rationem et libertatem suam, fidei et morum duces statuunt. Anabaptistæ spiritus enthusiasmo agi et edoceri se jactant. Vidit etas nostra, qua nulla non monstra vidit, fanaticum, qui de tribus orbis impostoribus, Mose, Christo, Mahomete (pergere perhorresco) blasphemiam triumviratum in lucem dedit.

Nostrorum, qui vel tempus, vel laborem, vel inutilitatem causantur, ut vetus Testamentum negligant, tolerabilior est persuasio: reipsa tamen errant, omniumque eodem tandem redit error, error dico, quia pugnat cum Mose, cum Prophetis, cum Apostolis, cum Ecclesiæ sensu, cum Patribus, cum ratione, cum Christo, cum Deo Patre et Spiritu Sancto.

Cum Mose *Deuteron. xvii, 8*: « Si difficile, inquit, et ambiguum apud te iudicium esse perspexeris, etc., facies quodcumque dixerint qui presunt loco quem elegerit Dominus, et docuerint te juxta legem ejus. » Quis hic non videt, controversias de fide, moribus et ritibus, tam novas quam veteres, ex lege Dei dijudicandas esse, et sacerdotes ac Theologos, ut eas deficiant, lege, quasi Lydio lapide, uti debere? legi ergo tam veteri, quam novæ student oportet.

Cum Prophetis. Isaias enim, cap. vii, vers. 20, clamat: « Ad legem magis, et ad testimonium. » Et Malachias, cap. ii, vers. 7: « Labia sacerdotis custodient scientiam, et legem requirent ex ore ejus. » Et David, *Psal. cxviii, 2*: « Beati qui scrutantur testimonia ejus. » Et vers. 48: « Revela oculos meos, et considerabo miracula de lege tua. »

Cum Apostolis. « Habemus, ait S. Petrus, *Epistola II, cap. ii, vers. 19*, firmiorem prophetiæ sermonem, cui beneficiis attendentes, quasi lucernæ lucenti in caliginoso loco. » Et Paulus *Timotheum, Epist. II, cap. iii, vers. 14*, dilaudat, quod ab infantia sacras Litteras (veteres utique,

51. Simon, Marcion et Manichei reprobant veteris Testamentum, cur?

Et Evangelia.

52. Ex sensu Ecclesiæ.

Episcopi consensu spondent se scire novum et veteris Testamentum.

Et decreto Dei.

Theopompus et Theodectes paniti, quod Mosen profanarunt.

Et Propheta.

Vetulo Septuaginta.

quæ sole tum exstant) didicisset, a quæ te possunt, inquit, instruere ad salutem, per fidem quæ est in Christo Jesu. Omnis Scriptura divini inspirata utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in justitia, ut perfectus sis homo Dei, ad omne opus bonum instructus. »

Cum Christo. « Scrutamini, inquit, Scripturas, » *Joon. v, 39*. Non dixit, ait Chrysostomus: Legite Scripturas, sed *Scrutamini*, id est, cum labore et diligenter effodite arcanos Scripturarum thesauros, perinde ut qui in venis metallicis aurum et argentum studiose scrutantur.

Cum sensu Ecclesiæ. Hæc enim in sacris, in mensis, in bibliothecis, in cathedris æque vetus ac novum Testamentum, quasi custos fidelissima exhibet ac proponit; hæc in Concilio Tridentino, toto cap. *I De Reformatione*. S. Scriptura perennem lectionem ubique revocari et stabiliri jubet; hæc Episcopos, Pastores Ecclesiæ futuros, ante consecrationem adigit, ut spondant se scire tam veteris quam novum Testamentum, quam responsionem et sponsonem, licet Sylvester voc. *Episcopos*, et alii meliori interpretatione emoliant, hinc tamen religio nonnullis sapientioribus, presse verba ipsa ponderantibus, injecta fuit, ut hoc nomine Episcopatum recusarent, ne sponsione falsa se obstringerent.

Cum Patre, Filio et Spiritu Sancto. Ut quid enim S. Trinitas vetus Testamentum, per quatuor annorum millia, tam sartum tectum, per tot belorum et regnorum turbines, servavit? nisi quia a nobis fieri voluit, quod a Josue cap. i, vers. 8: « Non recedet, ait, volumen legis hujus ab ore tuo, sed meditaberis in eo diebus ac noctibus. » Ut quid profanantes illud tam acri ultione vindex multavit? Narrat Josephus et Aristæas, lib. *De Septuaginta Interpretibus*, illustrem virum Theopompum, cum quidpiam divinorum Hebræorum voluminum Græca oratione ornare voluisset, mentis agitationes et turbatione percussum et periculum incepto desistere coactum; cumque orans Deum, perquireret cur id sibi contigisset, responsum divinitus accepisse, eo quod divinas Litteras inquinasset. Theodectem vero tragediarum scriptorem, cum nonnulla et Judæorum Scriptura ad fabulam transferre vellet, temeritatem hæc cæcitate luisse: ea enim illico percussum, ac luminibus captum orbatumque fuisse; donec agnitæ suæ culpa, facti penitens uterque veniam a Deo impetravit, atque hic oculis, ille menti restitutus est. Ut quid 230 annis ante Christum, hanc mentem inject Ptolemæo Philadelpho, filio Ptolemæi Lagi, qui fratri suo Alexandro Magno in Egypti regno successit, ut per Eleazarum pontificem, senos et qualibet Hebræorum tribu doctissimos, puta LXXII Interpretes seligeret, qui vetus Testamentum ex Hebræo in Græcum transferrent, isque astutit, ut 70 diebus, summa omnium consensione rem confecerint, et in easdem non

tantum sententias, sed et verba convenerint: idque, si Justino, Cyrillo, Clementi Alexandrino et Augustino credimus, cum quisque seorsim diversa cellula suam versionem eaderet? Ut quid Philadelphus hæc Septuaginta versionem per Demetrium bibliothecæ Alexandrinæ præfectum, una cum Hebræis exemplaribus, in sua bibliotheca reponi, et studiose servari curavit? Sane Tertullianus in *Apologética*, illam ibidem ad sua usque tempora asservatam fuisse testatur: utique volebat Deus, hæc gentibus Græcis, et per eos Latinis, nobis dico, nostrisque Theologis consignari, et per omnes orbis partes, academias et urbes distribui.

Ut quid post Christum, tot alios interpretes ejusdem veteris Scripturæ vel dedit, vel providit testes et custodes? *Secundus* post LXX S. Scripturæ ex Hebræo interpres, teste Epiphano, fuit Aquila Ponticus, qui anno 12 Adriani imperatoris Scripturam Hebræam in Græcum vertit; sed quia a Christianis ad Judæos deservit, non satis futa est ejus fides.

Huic majori fide successit Theodotion, ex Marcionita licet proselytus Judæus, imperante Commodus, cujus versionem in Daniele recepit et sequitur Ecclesia. *Quartus*, sub Severo Imperatore, fuit Symmachus, primum Ebonita, deinde Judæus. *Quintus* fuit anonymus, cujus versio in doliis quibusdam urbis Jericho, anno 7 Caracallæ, qui Severo patri successit, reperita est. *Sextus* primum fuit anonymus, Nicopoli in doliis similiter inventus, Alexandro Mammeæ filio imperante. Hæc duæ vulgo, quinta et sexta editio indignantur. Has omnes collegit Origenes, indeque tetrapla sua, hexapla et octapla digessit; rursum LXX viatiatos correxit, adeoque probe, ut ab omnibus *xviii*, id est *communis*, habita sit et dicta hæc ejus editio. *Septimus* fuit S. Lucianus presbyter et S. Lucii Martyr, sub Diocletiano, qui novam editionem molitus est ex Hebræo in Græcum.

Denique S. Hieronymus, Latine Ecclesiæ sol, jussu B. Damasi veterem Scripturam ex Hebræo in Latinum convertit, cujus versionem jam a mille annis vulgatam, paucis demptis publice sequitur et probat Ecclesia. Quorsum, quæso, hæc omnia Deus providit tam operose, tam studiose, nisi ut sacrum hunc veterum codicum, thesaurum illibatam nobis volvendum, docendum, discendum traderet?

Cum Patribus pugnat hæc persuasio; nam S. Augustinus scripsit pro veritate et utilitate Pentateuchi et veteris Testamenti ipsos 33 libros *contra Faustum*, rursum duos *Contra adversarium legis et prophetarum*. Scripsit pro eodem Tertullianus libros quatuor *Contra Marcionem*. Ejusdem libris evolendis et explicandis insudarunt ad unum omnes. Basiliius et ejus assæla vel interpres S. Ambrosius, scriperunt in Genesis libros *Hexameron*, in Psalmos, in Isaiam. Scripsit in Genesis Origenes 16 libros, Chrysostomus homilias 32.

51. Simon, Marcion et Manichei reprobant veteris Testamentum, cur?

52. Ex sensu Ecclesiæ.

Episcopi consensu spondent se scire novum et veteris Testamentum.

Et decreto Dei.

Theopompus et Theodectes paniti, quod Mosen profanarunt.

Et Propheta.

Vetulo Septuaginta.

51. Simon, Marcion et Manichei reprobant veteris Testamentum, cur?

52. Ex sensu Ecclesiæ.

Episcopi consensu spondent se scire novum et veteris Testamentum.

Et decreto Dei.

Theopompus et Theodectes paniti, quod Mosen profanarunt.

Et Propheta.

Vetulo Septuaginta.

54. Aquila.

Theodotion.

Symmachus.

Quinta et sexta editionis.

Hexapla Origenis.

S. Lucii Martyr.

S. Hieronymus.

55.

In Pentateuchum scripsit Cyrillus libros 17 De adoracione in spiritu et veritate; ex eodem questiones et phrases ediderunt S. Augustinus, Theodoretus, Beda, Procopius, Hieronymus. Idque merito: nam, ut ait S. Ambrosius epist. 44, divina Scriptura est mare, habens in se sensus profundos, et altitudinem prophetiarum ænigmata, utique veteris Testamenti.

S. Hieronymus, Prefatione in epist. ad Ephesios De S. Scripturarum studio: « Nunquam, ait, ab adolescentia aut legere, aut doctos viros, quæ ignorabam interrogare cessavi; nunquam meipsum (ut plerique) habui magistrum. Denique nuper ob hanc vel maxime causam, Alexandriam perrexi, ut viderem Didymum, et ab eo in Scripturis omnibus quæ habebam dubia seiscitarer. » S. Augustinus, lib. II De Doctrina Christ. cap. vi, docet divinitus provisum esse, ut tam multiplici et difficili S. Scriptura studium hominis et a superbia et a fastidio revocaretur. « Mira (ait idem lib. XII Confess. xiv) profunditas est eloquiorum tuorum, Domine, quorum ecce ante nos superficies blandiens parvulis, sed mira profunditas, Deus meus, mira profunditas; horror est intendere in eam: horror honoris, et tremor amoris. » Unde et epist. 119: « Ego, ait, in ipsis S. Scripturis multo plura nescio, quam scio. »

36. S. Demetrius, sicut et S. Hieronymus, scripsit de Testamento.

Neque is tantum prisca ætate Patrum fuit sensus, sed et horum est sæculorum, vigente jam et florente Scholastica Theologia. S. Dominicus, S. Theologie doctor, crebro tam vetus quam novum Testamentum versabat: Romæ, et alibi, plures ejus libros propalam docuit: inde Magister primus sacri Palatii creatus est; atque ab hoc tempore dignitas hæc S. Prædicatorum Ordini adhesit. Audite auctorem Vite ejus, lib. IV, cap. iv, simpliciter hæc stylo: « Quia, ait, sine scientia Scripturarum perfectus prædicator esse non potest, suadebat Fratribus, ut semper studerent in veteri et novo Testamento: figmenta enim philosophorum parvi pendebat; hinc Fratres ad prædicandum missi, sola Biblia secum deferabant, et multos convertebant ad penitentiam. » Ita S. Vincentius ille Fererius, qui proavorum nostrorum memoria Italian, Galliam, Germaniam, Angliam, Hispaniam peragrans, minimum centum hominum milia convertit, unum Breviarium, et Biblia circumferebat ad concionandum.

S. Vincentii Fererii.

S. Jordanis.

S. Jordanes vero doctor, alter a S. Dominico Ordinis sui Magister Generalis, interrogatus a suis prædicatoribus, « utrum foret melius, orationi an studio S. Scripturæ insistere? » facere de more respondit: « Utrum melius semper bibere, an semper comedere? utique sicut alternatim competit utrumque, sic et orare et studere S. Scripturæ vicissim oportet; » et, ut S. Basilus ait: « Orationi succedat lectio, lectioni oratio. »

Orationi succedat lectio.

S. Francisci.

Pari modo S. Franciscus rogatus a suis, hæc sacrarum Litterarum studium eis induisit, ea lege, ut orationis et devotionis spiritum non ex-

tinguerent: ac primus ex ejus familia S. Antonius de Padua, vivente ac vivente ipso S. Francisco, hæc litteras docuit, vir adeo in Scriptura tam veteri quam nova versatus, ut coram Summo Pontifice concionatus, ab eo arca testamenti sit consulatus. Mitto S. Bernardum, qui quidquid pene loquitur, verbis Scripturæ loquitur; mitto B. Alfonsum Tostatum, Episcopum Abulensem, qui in decateuchum hoc, et singulos veteris historie libros, singula volumina, sane magna, acri judicio et studio elaboravit, ut mihi olim cum pervolventi, et jam exactius revolventi, non minus laboris, quam opis afferat.

S. Antonii de Padua.

S. Bernardi Abulensis.

S. Edmundi.

S. Edmundus, Archiepiscopus Cantuariensis, anno parte salutis 1247, in sacris Litteris perdidit et pernox, noctes ipsas ducbat insomnes, ea reverentia, ut quoties sancta Biblia aperiret, prius ea osculo honoraret. De quo illud memorabile: legationem obiens, de more noctu sancta Biblia læsitabat, somno opprimitur, candela in librum incidit, eumque flamma corripit, evigilans suspirat, ambustus putans librum, favillam libro inhaerentem efflat, et ecce integrum intactumque codicem admiratur. S. Carolus Borromeus in S. Scripturam assidue quasi in paradiso deliciarum versabatur, dicebatque Episcopum non esse hore, sed ejus hortum esse S. Biblia.

S. Borromei.

Atque ut hunc locum concludam, S. Thomas, Scholasticorum princeps, illustre nobis dedit exemplum, ut Scholasticæ cum sacra Scriptura quasi sororiantem indivivue jungamus. Nostis omnes quis ejus in Scripturam amor, quod studium, quæ preces, quæ jejunia, qui commentarii in Prophetas, in Cantica, in Job, et alios veteris Testamenti libros: in quibus illi in nostram te mesur (si tamen ejus sunt, de quo posterius dicam) insignes sunt et eruditi.

S. Thomæ.

Denique utilitatem et necessitatem veteris Testamenti ratio persuadet. Moses, David, Isaias, æque ut Petrus, Paulus, Joannes, in cætum quasi angelorum admissi, ab ipso fonte veritatis per sapientiam hauserunt; et, ut recte ait B. Gregorius et Theodoretus, lingue et manus horum sacrarum Scripturarum nihil aliud fuerit, quam calami ejusdem Spiritus Sancti, adeo, ut non tam ipsi scriptores diversi, quam unius scriptoris diversi calami fuisse videantur: eadem ergo veritas, auctoritas, reverentia, studium, diligencia tribuenda Mosi, quæ Paulo, vel potius Spiritui Sancto per Moesem, atque per Paulum loquenti; quæcumque enim ab eo scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt. Nimirum ipse omnem suam sapientiam hominibus vel necessariam, vel utilem, quam ex abisso divinitatis suæ nobis communicare voluit, tam veteri quam novo Testamento conclusit. Hic liber est Dei, liber Verbi, liber Spiritus Sancti, in quo nihil redundans, superfluum nihil, sed uti scriptorum, ita et rerum variegatura, atque pulcherrima partium omnium

38. Et ratio non idem probatur.

Scriptores sacri fuerunt calami Spiritus Sancti.

harmonia invicem omnia consonant, et universum hoc Dei opus complectit et concinnant; ut, si unam partem dempseris, totum demembraris. Quare ut philosophus totum demembras, medius Galenus, orator Ciceronem, jurisperitus totum Justinianum, ita multo magis Theologus totum hunc Dei librum volvat, verset, terat oportet; ac, ut qui Metaphysicam mutilaret, mutilaret et Philosophiam; ita qui S. Scripturam mutilat, mutilat et Theologiam: sicut enim Metaphysica Philosophiæ, ita sacra Scriptura Theologiæ sua dat principia. Hoc sane voluit Christus, cum dixit: « Omnis scriba, » id est omnis Doctor, omnis Theologus, « doctus in regno cælorum, profert de thesauro suo nova et vetera. »

39. Prima mutilata veteris Testamenti.

I. Verum, ut oculis rem subjiciam plane, et fructus aliquot illustriores veteris Testamenti recenseam, imprimis vetus Testamentum, æque ut novum, fidem stabilis. Unde, quæso, mundi exordium, creationem, conditorem novimus, nisi quia fide credimus aptata esse sæcula verbo Dei? Quo verbo? utique Genesio primo: « Fiat lux, fiant luminaria, faciamus hominem, » etc. Unde animam immortalam, hominis lapsum, peccatum originale, Cherubim, paradisi didicimus, nisi ex eadem Genesi hæc enarrant? Eusebius toto lib. XI De Preparat. Evangel. docet Platonem, quem ut divinum præ Aristotele alii quæ omnibus sectatus est S. Augustinus, et quotquot ante eum fuerunt Patres, Platonem, inquam, scholasticæ suæ de Deo, de Dei Verbo, de mundi exordio, animæ immortalitate, futura resurrectione et judicio, penis et præmiis, hausisse ex Mose.

Unde Dei providentiam agnovimus, nisi ex tot sæculorum serie? Unde hominum, regum, regnorum propagationem, universalem orbis cataclysmum, resurrectionem et spem vite æternæ hausimus, nisi ex veteri historia, et Jobi et priscorum patientia, ex patriarcharum peregrinatione perpetua? « Fide, ait Apostolus, Abraham demoratus est in terra reprobmissionis tanquam in aliena, in casulis habitando cum Isaac, et Jacob, cohæredibus reprobmissionis ejusdem: expectabat enim fundamenta habentem civitatem, ejus artifex et conditor est Deus. » Atque hinc spes nostra acuitur, assurgit animus, ut hospitem se hic esse et exulem recolens, ad patriam celestem aspiret, nihil in hoc orbe concupiscat, miretur nihil, sed omnia pedibus calcet, et arbitretur ut stereora, illudque Socraticum cum S. Hieronymo jugiter sibi occinat: ἀρετῶν καὶ περιποίησιν εἶναι, æthera conscendo, solum hoc, imo cælum, solumque despicio. Non terra, sed cæli scriptus sum hæres et dominus; eo mente, eo spe, eo omni cogitatione feror, meque supra sidera librori; civis sum Sacrorum, Dei domesticus, paradisi incolæ: cætera, utpote humilia, me indigna, abjecta, infima pedibus premo.

Quis in tota Scriptura clarius angelorum naturæ, officii, custodiæ, invocationis fidem as-

truit, quam liber Tobie? quis Purgatorium et suffragia pro defunctis expressius statuit, quam libri Machabeorum? adeo ut Novantes nostri, cum aliud non viderent effugium, victoriam desperantes, et vinei, non vincere certi, necessitate in furorem versi, eos e sacro canone dispunxerint.

Ex adverso vero, quot hereses hisce libris se tutantur? Judæi illo Deuter. xxii, 19: « Non feneraberis fratri tuo, sed alieno, » Christianis licite se dare ad usuram posse, mordicus tument, Magi pro magia testes lardant et citant magos Pharaonis, qui magie subita vi serpentes in virgas, et virgas in serpentes, æque ut Moses, transformaverunt. Pro necromantia citant pythionissam, quæ Samuelem a mortuis suscitavit, qui Saulem vero mortis et cladis future oraculo perculit. Pro chiromantia afferunt illud Jobi xxxvii: « Qui signat in manu omnium hominum, ut norint singuli opera sua. »

Calvinus ex illo Davidis: « Dominus præcepit ei (Semei) ut malediceret David, » II Reg. xvi, 10, Deum operis mali auctorem, imo præceptorem (ut ipse putat) evincit; ex illo Ezodii: « Ego obdurabo cor Pharonis, et: Ad hoc suscitavi te, ut ostendam in te potentiam meam, » inevitabile reprobationis suæ fatum astruit; servum arbitrium statuit ex eo, quod Jeremias nos quasi lutum, in manu Dei, quasi figuli constituit.

Jerem. xliii, 6.

A paucis annis Saxonicæ Lutherologiæ, et matreologi, in disputatione Ratisbonensi, omne suæ causæ momentum de proscriptis traditionibus, et uno Dei verbo, quasi ultimo controversiarum fidei iudice, statuendo, in illo Deuterom. iv, 2, posuerunt: « Non addetis ad verbum quod vobis loquor, nec auferetis ex eo; » et cap. xii, 32: « Quod præcipio tibi, hoc tantum facito Domino; nec addas quidquam, nec minuas. »

Quid hic agas, si hic domi non sis? quomodo te eis ludibrium dabis, in Ecclesiæ scandalum, si hic cespites, si hæc non legas, audias, discas, si fontes ipsos sæpe non consulas? hoc enim necessarium esse docet S. Augustinus. Sane qui nescit quid sibi velit Hebræum יִשְׂרָאֵל *Isaua*, id est, præcepit Deus Semei, etc. Calvinus manus non effugiet; qui autem hebraismus norit, scilicet *Isaua* significare ordinare, providere, disponere, omnemque Dei providentiam, tam positivam, quam negativam et permissivam, talem hoc quasi araneæ telam difflabit. Similes hebraismos singulis sæpe capitibus ostendam, quos nunquam, nisi ex Hebræa lingua, intelligas.

II. Prima hæc duplex est utilitas veteris Scripturæ: altera non minor, quod velus longe uberior sit nova. Videas ethicam uberrim in Proverbis, Ecclesiaste, Ecclesiastico: politicam admirabilem in gestis, et legibus Mosis judicialibus et caeremonialibus, et quibus multa mutata est Ecclesia, et auctores Juris Canonici; Civis etiam nonnulla: oracula in Prophetis; conciones in

41. II. Utrumque veteris Testamenti.

Deuteronomio et Prophetis; et, quod presentis est negotii, historiam a condito mundo usque ad Judicium, Regum et Christi tempora, certissimam, ordinatissimam, diversissimam, jucundissimam, videas in deuteucho. Quadruplex est lex, innocentie, nature, Mosaiica, Evangelica: tres priores earumque historias complectitur Pentateuchus. « Genesis, inquit S. Hieronymus in Prologo galeato, est, in qua de creatura mundi, de exordio generis humani, de divisione terre, de confusione linguarum et gentium, usque ad exitum scribitur Hebræorum. »

Fabulantur Latini et Græci Gentium historici, de diluvio Deucalionis, de Prometheo, de Hercule; et in omni profana historia, omnia ignorantie tenebris et fabulis plena sunt, ante Olympiades. Olympiades autem ceperunt, vel initio regni Joatham, vel in fine regni Ozia, puta post annum a condito mundo ter millesimum, et amplius: ita ut per tria millia annorum, mundi historiam certam nullam habeas, nisi hanc Mosis et Hebræorum. Est sane historia magistra, dux et lux vite humane, in qua regnorum, rerum publicarum, vite humane ortus, casus, occasus, virtutes, vicia, quasi in speculo cernas, omnemque prudentiam, et viam ad felicitatem alieno exemplo, felicitate, vel infelicitate discas.

Huc accedit, in nulla historia, imo nec in novo Testamento, tot, tam varia, tam heroica virtutum omnis generis exempla exstare, atque in Pentateucho, et veteri Testamento. Laudant Romani suos inelytos glorie capones, quorum cerasat umbras, imagines dico, lambunt sequaces hederae, corpora et animas lambit et depascit æternus ignis. Laudant Manlios Torquatos, qui filios præter ducis et parentis imperium cum hoste pugnantes, parta licet victoria, ad sciendam disciplinam militarem, gladio ferierunt. Sed quis amet Manliana imperia? Laudant Romanæ libertatis vindicem Junium Brutum, primum Consullem, qui filios tam suos, quam fratris, quod cum Aquiliis et Vitellis, ad recipiendum in urbem Tarquinios conjurarant, virgine casos securi percussit: infelix et infamis tali prole pater. Quis non magis laudet Abrahamum et Isaacum innocentes, qui Deo debitam obedientiam parentali corde et victima sancire destinarunt, atque Machabæam matrem, se cum septem prolibus Deo, pro patris legibus immolantem?

Laudant illi tergeminos fratres Horatios, qui tergeminos Curiatos Albanos duello, dolo magis quam viribus vicerunt, et imperium Albæ in Romanam transtulerunt. Quis non magis laudet animos et viros Davidis, duello turrim illam carneam et osseam, Goliath, funda prosternentis, et Israeli imperium in Philistiim asserentis?

Laudant Alexandri continentiam, qui cæso Dario, captam ejus conjugem et filias speciosissimas videre noluit, dictitans Persicas matres dolores esse oculatorum. Quis non magis laudet Jose-

Abraham immolans Isaac præferens Manliano Torquato et Junio Bruto.

Compara-

to Horatiorum et Davidis.

Abraham Dario et Josephi.

phum, jam a domina sollicitante secreto prehensum, relicta chlamyde aufugientem, et in omne carceris, famæ ac vite discrimen, pro castitate tuenda ultro se conjicientem?

Laudant Lucretiam incestæ castam, atque sceleris seram vindicem, et homicidam: nos Susannam longe fortiore castitatis æque ac vite et famæ pugilem celebramus.

Mirantur illi Virginiam centurionem, qui cum Claudiam Virginiam filiam a potentia et stupro Appii Claudii deconviri eripere non posset, ultimum poscens ejus alloquium, secreto occidit, mortuam malens, quam corruptam filiam. Mirantur Decios, patrem et filium, pro castris Romanis Latinos et Sannites hostes, secum solemni prece, per Valerium et Liberium pontifices, diis manibus devoteutes, iisque sua morte victoriam consignantes. Quis non magis miretur Jephthe principem, pro victoria sue gentis, unicam filiam virginem, et votam immolantem Deo vero devoteutem, et votam immolantem? Quis non Mosen, pro populo, non temporali, sed æterno exitio se addicentem?

Laudant, illi fortitudinem et felicitatem bellicam Julii Cesaris, Pompeii, P. Cornelii Scipionis, Annibalis, Alexandri. At quanto major Samson, Gedeon, David, Saul, Machabæi, Josue, qui non humana, sed cælesti fortitudine præditi, divina felicitate paucis plurimos, eosque potentissimos profligarunt; quibus sol, luna, sidera, quasi milites obediunt, et contra hostes depugnantur? Cui, quæso, nisi Theodosio, sed magis Judæ Machabæo et Josue illud occinas?

O nimium dilecte Deo, cui militat ab antris Eolus armatas hiemes, qui militat æther, Et conjugati veniunt ad classica venti.

Atque hi nobis juges sunt stimuli ad omne virtutis arduum, ad omnem sanctimoniam et innocentiam, ut illorum emuli, quasi angeli terrestres, et homines ecclæstie, in Evangelica luce, coram oculis divine majestatis, jugiter nos intuentis, ambulemus, et serviamus ipsi in sanctitate et justitia. Deinde, ut in propriis et publicis, Belgicis et Europæis hisce turbibus, consolationi cum Machabæis habentes Libros sanctos, per patientiam et consolationem Scripturæ, spem habeamus, animosque attollamus, scientes Deo nos esse curæ, ejusque et cælestium amore obfructati, nihil metumamus, mortem etiam ac tormenta despiciamus, et etiam si fractus illabatur orbis, impavidos feriant ruina.

Ita Apostolus tolo cap. xi ad Hebræos, patrem exemplo, insigni concione ad tolerantiam et martyrium eos accendit, ut hemina sanguinis emant beatam æternitatem: « Lapidati, inquit, sunt, » Moses utique, Jeremias, alique Sancti veteris Testamenti, « secti sunt, tentati sunt, in occasione gladii mortui sunt; circueierunt in melosis, in pelibus capriinis, egentes, angustiati, afflicti, quibus

81. Lucretia et Susanna?

Virginiæ et Jephthæ.

Decio rum / Mosis.

Romanorum dico cum et Machabæorum.

64.

67.

dignus non erat mundus, in solitudinibus errantes, in montibus et speluncis, et in cavernis terræ; idque, cum meliorem invenirent resurrectionem; ideoque et nos, tantam habentes nubem testium, per patientiam curramus ad propositum nobis certamen. »

III. Tertia utilitas est, quod sine veteri Testamento novum intelligi nequeat: citant illud crebro, crebrius ad illud alludunt Apostoli, et Christus, etiam jam extremum suis valedicens. « Hæc sunt, ait Luc. cap. ult., vers. 44, verba quæ locutus sum ad vos: quoniam necesse est impleri omnia quæ scripta sunt in lege Mosis, et Prophetis, et Psalmis de me; tunc aperuit illis sensum, ut intelligerent Scripturas. »

Sane epistola ad Hebræos hæc una de causa gravissima et obscurissima est, quod tota ex veteri Testamento, ejusque allegoriis contexta sit.

IV. Quarta utilitas est, cum finis legis sit Christus, omnia quæ in veteri Testamento dicuntur, ad Christum et Christianos pertinent, sensu vel literaliter, vel allegorico; atque in hoc vetus Testamentum novo antecellit, quod vetus passim præter litteralem sensum, allegoricum habet, sæpe etiam analogicum et tropologicum: novum fere caret allegorico. « Patres nostri, ait Apostolus, I Corinth. x, 4, omnes sub nube fuerunt, et omnes mare transierunt, et omnes in Mose baptizati sunt, in nube et in mari, et omnes eandem escam spiritalem manducaverunt, etc. Hæc autem in figura facta sunt nostri: scripta sunt autem propter nos, in quos fines sæculorum deveniunt. » Hinc rursum idem, veteris Testamenti intelligentiam a Judæis ablatam, ad nos transisse docet. « Usque in hodiernum diem, inquit, idipsum velamen in lectione veteris Testamenti manet non revelatum, quod in Christo evanescit; sed usque in hodiernum diem, cum legitur Moses, velamen positum est super eos eorum, » II Cor. iii, 14.

V. Quinta, ad lectionum, disputationum, concionum copiam providit Deus, ut e veteri Testamento, tantam figurarum, exemplorum, sententiarum, oraculorum varietatem petere liceat, non tantum ad fidem, sed ad omnem honeste vite informationem. Ita Christus segnes ad vigiliam excitat exemplo Noe, et conjugis Lot, Luc. xvii, 32: « Memores estote, ait, uxoris Lot; » rursum obstinatæ Judæorum mentes recordatione Sodomorum, Nivitarum et reginæ Austri terret et percellit. Sic imitatores divitis illius in inferno sepulchi, ex Abrahæ verbis ad penitentiam revocat, dicens, Luc. xvi, 27: « Habent Mosen et Prophetas, audiant illos. » Paulus vero ait, I Cor. x, 6 et 11: « Omnia in figura, id est in exemplum nostri, continebant illis; ut non simus concupiscentes malorum, neque idololatras, » neque fornicatores, neque edaces, neque murmuratores, aut Dei tentatores, ut pereamus sicut illi, qui in

lege veteri ob talia facinora perierunt. Spiritus enim Sanctus, qui sæculorum omnium est conscius et præsciis, ita sacram Scripturam concinnavit, ut non solum Judæis, sed et Christianis quovis ævo servare posset. Quinimo Tertullianus lib. De Cultu femina, cap. xxii, censet nullam esse enumerationem Spiritus Sancti, quæ ad presentem tantum materiam, et non ad omnem utilitatis occasionem dirigi ac suscipi possit.

Vere S. Augustinus Contra Faustum, lib. XIII, in fine: « Nos, ait, ad commemorationem fidei nostræ, et ad consolationem spei nostræ, et ad exhortationem charitatis nostræ libros Propheticos et Apostolicos legitimus, alterutris vocibus sibimet concinentes; atque ea concinentia, tanquam cælesti tuba, et a torpore mortalitatis vite nos excitantes, et ad palmam supernæ vocationis extendentes. »

Hæc de causa in Sacris Ecclesia ex veteri Testamento passim lectiones prælegit, et sacro jejuniis tempore Epistolam et veteri Testamento semper Evangelio apte, quasi umbram corpori, imaginem typo respondentem, indicit. Vidi ego olim Ecclesiastes celebres, pro concione ita priore parte historiam, aut quid simile e veteri Testamento, posteriore aliquid e novo, populo edisserentes, magna populi frequentia, plausu, fructa.

Denique non tantum hæretici, sed et orthodoxi viri graves, qui in consiliis, causis, judiciis versantur, sacras Litteras tam antiquas, quam novas volvunt teruntque veteri exemplo.

Refert Franciscus Petrarca, ante 250 annos, Robertum, Siciliæ regem, ita litteris, maxime sacris, delectatum, ut juratus ei dixerit: « Juro tibi, Petrarca, multo chariores mihi esse litteras, quam regnum, et si alterutro mihi earendum sit, æquimimus me diademate, quam litteris cariturum. »

Auctor est Panormitanus, Alfonsum Aragonum regem gloriari solitum, se, licet in mediis regni negotiis, quater et decies universa Biblia cum glossemate et commentariis evolvisse. Non ergo novum, si jam principes, consiliarii, alique viri primarii passim in mensis, convivis, colloquiis, questionibus e veteri et novo Testamento moveant; ubi Theologus, si sileat, infans erit: si incepte respondeat, ignorans aut stolidus audiet.

VI. Atque hinc oritur sexta utilitas: vetus enim Testamentum prælusit novo, illique testimonium perhibuit, perinde ac S. Joannes Baptista Christo Domino: ipse enim æque ac Moses, et cæteri prophetae, « præivit ante faciem Domini, parare vias ejus, ad dandam scientiam salutis plebi ejus; illuminare eos qui in tenebris et in umbra mortis sedent, ad dirigendos pedes nostros in viam pacis. » Hujus rei symbolo, in transfiguratione Christi apparuerunt Moyses et Elias, tum ut illi testimonium darent, tum ut eloquerentur de excessu, quem completurus erat in Jerusalem. Quis enim credidisset Christo, quod Evangelio, nisi tot

66.

69. Roberti regis statum S. Scriptura.

Alfonsi.

VI. 70.

Patrum testimonio, tot oraculis, tot figuris fuisse confirmatum, predictum, adumbratum? Judæos quomodo convinces, quomodo ad Christum adduces, nisi ex valentibus Mosis et Prophetarum? Apud Politicos, Gentiles, Saracenos, omnesque omnino homines, magna veritatis Evangelicæ demonstratio est, inquit Eusebius, quod toto veteri Testamento, per tot sæcula fuerit promissa et præsignificata.

Hac de causa Christus toties ad Moesen appellat, Joan. 1, 47: « Lex per Moesen data est, gratia et veritas per Jesum Christum facta est. » Joann. v, 46: « Est qui accusat vos Moeses; si enim crederetis Mosi, crederetis forsitan et mihi: de me enim ille scripsit; si autem illius litteris non creditis, quomodo verbis meis crederetis? » Luca xxiv, 27: « Incipiens a Mose et omnibus prophetis, interpretabatur illis in omnibus Scripturis quas de ipso erant. » Hinc et Philippus Nathanaeli, Joan. cap. 1, 43: « Quem scripsit, inquit, Moyses in lege, et propheta, invenimus Jesum. » Magnum enim Christo et veritati perhibet testimonium consensio utriusque Testamenti, sive consensio Mosis et Christi, Prophetarum et Apostolorum, Synagogæ et Ecclesiæ, ut docet passim Tertullianus contra Marcionem. Atque ut concludam, quanta hic sit, et quam omnigena sapientia, ex ipso Mose disce.

SECTIO TERTIA.

Quis, et quantus Moyses (1)?

71. Verbo dicam, pluribus annorum millibus sol hoc majorem virum non aspexit; ipse a teneris in aula regia, quasi regis filius et destinatus hæres, educatus est in omni sapientia Ægyptiorum, ipso 40 annos: inde negans se esse filium filia Pharaonis, malens affligi cum populo Dei, quam temporalis regni et peccati habere juvenilitatem, fugit in Madian; hic oves pascens, Deum in rubo allocutus, 40 ipso annos contemplantum divinam omnem sapientiam hæsit; denique dux populi delectus tertius 40 annos illi præfuit ut summus pontifex, summus imperator, legislator, doctor, propheta, Christo similis et antitypus. « Prophetam, inquit Dominus, Deut. xviii, 15, suscitabo eis de medio fratrum suorum similem tui; » et « Prophetam de gente tua, et de fratribus tuis, sicut me, suscitabit tibi Dominus Deus tuus: ipsum audies, » Christum scilicet.

Hic magistratus virum ostendit, quando tres hominum milliones, puta trigentes centena hominum millia, dura adeo cervicis, per arida deserta, 40 annis deduxit, cælesti cibo pavit, Dei metu et religione instituit, pace ac justitia conti-

(1) Cf. Statleri, De Auctoritate Scripturæ Sacræ, cap. 1 de persona Mosis, in opere cui titulus, De Locis Theologicis.

nuit, litium omnium arbiter ac sequester exiit, eosque contra hostes omnes tutatus est.

Virtutes Mosis mireris innumeras, fuit psalter et psalmographus: testis est S. Hieronymus, tom. III, epist. ad Cyprianum, Moesen psalmos undecim composuisse, scilicet a Psal. LXXXIX, cui titulus est, oratio Mosis servi Dei, usque ad Psal. c, qui prænotatur, in confessione.

Moses a Deo tabulas legis accipere meruit. Moeses ducem viæ habuit columnam nubis, imo archangelum columnæ præsidem. Oratione Moyses quasi angelus pasci et vivere visus est. Legis tabulas accepturus in Sina bis per 40 dies et noctes jejunos, et cum Deo colloquens constitit: ubi et coram lucis ei affixa sunt; ad ostium tabernaculi familiariter quotidie cum Deo res omnes populi pertractabat. « Servus meus Moyses, ait Dominus, Num. xii, 7, in omni domo mea fidelissimus est: ore enim ad os loquor ei, et palam, et non per ænigmata et figuras Dominum videt. » Ostendit enim ei Dominus omne bonum, Exod. cap. xxxiii, vers. 17. Deo a secretis Mose fuisse dixeris, divine, inquam, sapientia secretarium, et quid mirum, si non armis Josue, sed precibus Mosis profligatus sit Amalec? et quid mirum, « si non surrexit ultra propheta in Israel, sicut Moyses, quem nosset Dominus facie ad faciem? » Deut. xxxiv, 10. Quid mirum, si Dei ope et virtute thaumaturgus, plagis et portentis Ægyptum, et mare Rubrum tantum non everterit, carnes et manna cælo evocaverit, Core, Dathan, Abiron vivos in infernum deturbavit, et magnalibus suis thaumaturgos ad unum omnes superavit?

Prudentiam optimi principis politicam, et economicam illustrem, quis non videt in tanta dexteritate regendi tantum populum, æneæ, imo adamantine frontis? Insignis ejus in populum charitas et cura effulsit, tum in zelo, quo se pro suo Israele quasi anathema, catharma et piaculum devovit; tum in fervida illa concione totius Deuteronomii, qua cælum et terram, superos et inferos contestans, populum adigit ad observandum Dei legem; tum merito ipse dixerit: « Cur, Domine, imposuisti pondus universi populi hujus super me? Numquid ego concepi omnem hanc multitudinem, vel genui eam, ut dicas mihi: Porta eos in sinu tuo, sicut portare solet nutrix infantulum, et defer in terram, pro qua jurasti patribus eorum? » Num. cap. xi, vers. 11. Vere dixit S. Chrysostomus, hom. 40 in epist. 1 ad Timotheum: « Operiet Episcopum esse angelum, nulli humane perturbationi vitioque subjectum; » et alibi: « Eum qui regendos alios suscipit, tanta decet gloria virtutis excellere, ut instar solis cæteros, velut stellarum igniculos, in suo fulgore obscurat. » Si ergo Episcopus, si Prælati, si Princeps in populo debet esse quasi homo inter bruta, quasi angelus inter homines, quasi sol inter stellas: cogita qualis quantusque fuerit Moyses,

Moses fuit psalmographus.

71. Moses tabula, et archangelus columnæ nubis. Moyses oratio et radii.

Mosis precibus profligatus Amalec. Moysi miracula.

72. Moysi prudentia. Moysi zelus.

Rector sit quasi angelus inter homines.

qui Dei judicio dignus inventus, imo Dei vocatione et gratia dignus effectus est, qui non Christianis, sed duris et cervicosis Judæis, non tantum quasi Episcopos, sed quasi Pontifex simul et Princeps præesset?

74. Et ut cætera taceam, in tanto tamque divino fastigio, vel maxime miror tam demissam ejus humilitatem et mansuetudinem: sæpe murmuræ populi, calumnias, probris, apostasia, lapidibus appetitus, immota blandaque facie perstitit, ultus se non nimis, sed precibus ad Deum pro populo fuis; merito proinde Deus eum hoc celebrat elogio, Num. xii, 3: « Erat enim Moyses vir mitissimus super omnes homines. » Unde mitissimus? quia magnanimus in cælo habitans, omnia hominum probra, injurias omnes ut res terrenas et exiguas contemnebat. « Sapiens, inquit Seneca in Sapiente, majore intervallo a contactu inferiorum abductus est, quam ut ulla vis noxia ad illum vires suas perferat: uti telum in cælum solemque jactum ab illo stolido, extra solem tamen fluctit. Putasne demissis in profundum catenis Neptunum potuisse contingi? Uti celestia humana manus effugiunt, et ab his qui templa aut simulacra conflant, nil divinitati nocetur: ita quidquid fit in sapientem proterve, petulanter, superbe, frustra tentatur. »

Ob hac mansuetudinem, Moesen in hac vita donatum fuisse visione divine essentie, censent multi; qua de re aliusque ad Moesen pertinentibus, Exodi cap. ii, cap. xxxii et seq. sæpius dicendum erit. Certum est Moesen vita functum, in monte Abarim ab angelis sepultum esse; unde « non cognovit homo sepulcrum ejus, » Deut. xxxiv, 6. Atque hæc fuit ratio cur Michael archangelus cum diabolo altercatu sit de Mosis corpore, ut ait S. Judas in sua epistola. Denique vis nosse Moesen? Audi Siracidem Eccli. cap. xlv: « Dilectus Deo et hominibus Moyses, cujus memoria in benedictione est. Similem illum fecit in gloria sanctorum (sanctis Patriarchis); magnificavit eum in timore inimicorum, et in verbis suis monstra placavit (portentosas plagas Ægypti cessare fecit); glorificavit illum in conceptu regum, » regis scilicet Pharaonis (de quo dixit illi Dominus Exodi cap. vii, vers. 4: « Ecce constitui te Deum Pharaonis), et jussit illi coram populo suo, et ostendit illi gloriam suam; in fide et lenitate ipsius sanctam fecit illum, et elegit eum ex omni carne. Audivit enim vocem ipsius, et induxit illum in nubem, et dedit illi coram præcepta, et legem vice et disciplinæ, docere Jacob testamentum suum, et judicia sua Israel. »

75. Moysi ab angelis sepultus.

76. Moysi comitatus. Exi.

77. Audi Apostolum, Hebr. xi, 24: « Fide Moyses grandis factus, negavit se esse filium filia Pharaonis, magis eligens affligi cum populo Dei, quam temporalis peccati habere juvenilitatem; majores divitiis æstimas thesauro Ægyptiorum, improprium Christi: aspiciebat enim in remunerationem. Fide reliquit Ægyptum, non veritus animositatem regis: invisibilem enim tanquam videns sustinuit; fide celebravit pascha, et sanguinis effusionem, ne qui vastabat primitiva tangeret eos; fide transierunt mare Rubrum, tanquam per aridam terram, quod experti Ægyptii devorati sunt. »

Audi S. Stephanum Actor. cap. vii, vers. 22 et 30: « Moyses erat potens in verbis et in operibus; apparuit illi in deserto montis Sina angelus, in igne flammæ rubi; hunc Deus principem et redemptorem misit, cum manu angelis, qui apparuit illi; hic eduxit illos, faciens prodigia et signa in terra Ægypti; hic est qui fuit in Ecclesia in solitudine cum angelo, qui loquebatur ei in monte Sina, qui accepit verba vite dare nobis. » Audi S. Ambrosium, lib. I De Cain et Abel, ii: « In Mose, inquit, fuit venturi doctoris figura, qui Evangelium prædicaret, impleter testamentum vetus, novum conderet, cælestis populi alimentum daret: hinc Moyses humana dignitate conditionis excessi eo usque, ut Dei vocaretur nomine: Posuit, ait, te Deum Pharaonis. Et enim victor passionum omnium, nec ullis sæculi captus illecebris, qui omnem istam secundum corpus habitationem, cælestis puritate conversationis obdlexerat, mentem regens, carnes subiciens, et regia quadam auctoritate castigans, nomine Dei vocatus est, ad cujus similitudinem se perfecte virtutis ubertate formaverat; et ideo non legitimus de eo, sicut de cæteris, quia deficient mortuus est, sed per verbum Dei mortuus est: Deus enim neque defectionem, neque diminutionem patitur; unde et additur: Quia nemo scit sepulcrum ejus, qui translatus magis est, quam derelictus, ut quietem magis caro ejus, quam bustum acceperit. » Videtur hic insinuare Ambrosius Moesen non esse mortuum, sed translatum instar Elie et Henoch; qua de re dicam Deuteronomii cap. ult.

Audi Constantinum magnum Imperatorem in oratione sua apud Eusebium cap. xvii: « Quid, inquit, de Mose pro dignitate satis dici potest? qui populum confusione quadam turbatum, in ordinem redegit; qui levi persuasionem et modestiam eorum animos tranquillavit; qui illis pro servitute libertatem reddidit; qui pro mestitia lætiam attulit; qui etiam tantum illis, qui ipsum ætate anteiverunt, sapientia præstitit, ut sapientes et Philosophi a Gentilibus plurimum prædicati, ejus sapientie æmuli et imitatores existentes. Pythagoras enim ejus sapientiam imitatus, usque eo propter modestiam omnium sermone celebratur, ut Platoni homini plane modestissimo ejus continentia, tanquam exemplar ad imitationem proponeretur. » Audi, imo lege S. Justinum in Admonit. usque Pa-

renetica ad Gentes, qua tota docet Græcos ab Ægyptiis, hos a Mose hausisse suam sapientiam Deique notitiam. Imprimis: « Cum quidam, ait, ut ipsi fatemini, deorum oraculum consuleret,

78. Ex S. Ambrosio.

Ex S. Ambrosio.

Moses victus est Deus a victoria passionum.

Moses non tam mortuus, quam captus.

Ex S. Justinus.

Ex S. Justinus.

quos tandem homines religioni deditos aliquando esse contigisset, hoc responsum esse dicitis :

Solis Chaldaicis sapientia cessit : Hebrai
Ingenium Regem mente Deumque colant. »

Subdit : « Moses suam historiam hebraice scripsit, cum Græcorum litteræ nondum essent inventæ. Has enim postea Cadmus primus ex Phœnicæ allatas Græcis tradidit. Unde et Plato scripsit in *Timæo*, Solonem illum sapientum sapientissimum, cum ex Ægypto rediisset, hæc dixisse Critiæ, se audisse Ægyptium sacerdotem qui sibi diceret : Græci, o Solon, juvenes estis semper ; senex autem Græcus est nemo. Deinde rursus : Juvenes estis animis omnes ; nullam enim in eis veteri auditione veterem habetis sententiam, nec ullam tempore canam disciplinam. » Et paulo inferius ex Diodoro docet Orpheum, Homerum, Solonem, Pythagoram, Platonem, Sibyllam et alios, cum in Ægypto fuissent, suam de pluribus diis mutasse sententiam, quia nimirum a Mose per Ægyptios cognoverunt unum esse Deum, qui in principio creavit cælum et terram. Hinc Orpheus cecinit :

Jupiter est unus, Pluto, Sol, Bacchus et unus,
Est Deus unus in omnibus : hæc his cur tibi dico ?

Idem rursum :

Te lesor, cælum, magni sapientis origo,
Teque Patris Verbum, primum quod protulit ore,
Cum propria mundi machinam ratione creavit.

Denique addit Platonem ex Mose didicisse Deum, unde cum pariter vocasse eum, id est, quod est, sicut Moses eum vocat *ἰσῆς*, id est, qui est, sive, ego sum qui sum. Rursus ab eodem didicisse creationem rerum, Verbum divinum, resurrectionem corporum, judicium, penas impiorum, et præmia justorum, Spiritum Sanctum, quem Plato censuit esse animam mundi ; nec enim satis intellexit Mosen, sed eum ad sua phantasmata detorsit ; unde in errores incidit.

Ex S.
Cyrillo

Pari modo S. Cyrillus, lib. I *Contra Julianum*, ostendit Mosen præcisè heroibus Gentilibus, quos ipsi vetustissimos putabant, esse antiquiorem. Audi doctam ejus chronologiam Mosis et Gentium. « Itaque ab Abraham temporibus usque ad Mosen descendentes, nova inde annorum exordia iterum incipiamus, Mosis nativitate numeris præmitentes. Anno septimo Mosis aiunt natum Prometheum et Epitetheum, et Atlantem, Promethei fratrem, præterea et Argum cuncta cernentem. Tricesimo quinto anno Mosis primus regnavit Athenis Cecrops, qui cognominatus Diphyes : hunc ferunt primum ex hominibus sacrificasse bovem, nominasseque Jovem apud Græcos summum deorum. Sexagesimo septimo anno Mosis aiunt fuisse divinum Deucalionis in Thessalia ; præterea et in Æthiopia Solis filium, sicut isti dicunt, exustum esse Phaethontem. Septuagiesimo

quarto anno Mosis quidam Hellen dictus, Deucalionis et Pyrrhae filius, Græcis sui nominis agnominacionem dedit, cum antea vocarentur Græci. Centesimo et vicesimo anno Mosis Dardaniæ condidit civitatem Dardaniam, regnante apud Assyrios Amynta, apud Argivos autem Stenelo, apud Ægyptios vero Ramesse ; vocabatur autem ipse et Ægyptus, Danai frater. Centesimo et sexagesimo anno post Mosen Cadmus Thebis regnavit, cujus filia Semele, ex qua Bacchus, ut ipsi dicunt, ex Jove. Erat autem tunc et Linus Thebanus et Amphion Musici. Assumpsit autem tunc sacerdotium apud Hebræos Phinees, filius Eleazari, filii Aaron, mortuo scilicet Aarone. 193 anno post Mosen ferunt fuisse Proserpinam virginem raptam ab Ædoneo, id est Orco, rege Molossorum ; hic canem maximum aluisse dicitur Cerberum nomine, qui apprehendit Pirithoum et Theseum venientes ad raptum uxoris : cum perisset autem Pirithous, adveniens Hercules Theseum in mortis periculo constitutum ex inferno liberavit, ut fabulantur. 290 anno Perseus Dionysium, hoc est Liberum, occidit, cujus et sepulcrum esse dicunt in Delphis juxta aureum Apollinem. 410 anno post Mosen expugnatum est Ilium, judicante apud Hebræos Esebon, apud Argivos Agamemnone, apud Ægyptios Vaphre, apud Assyrios Teutamio. Colliguntur igitur a nativitate Mosis usque ad destructam Trojam 410 anni. »

Audi S. Augustinum, lib. XIIII *Contra Faustum*, cap. LXIX : « Mosen, inquit, famulum Dei fidelissimum, humilem in recusando tam magnum ministerium, subditum in suscipiendo, fidelem in servando, strenuum in exequendo, in regendo populo vigilantem, in corrigendo vehementem, in amando ardentem, in susinendo patientem ; qui pro eis quibus præfuit, Deo se interposuit consulenti, opposuit irascenti : hunc itaque talem ac tantum virum absit ut ex maledico Fausti ore pensemus, sed ex ore plane veridici Dei. »

Audi S. Gregorium, II part. *Pastor.*, cap. v : « Hinc Mosen crebro tabernaculum intrat et exit, et qui intus in contemplationem rapitur, foris infirmantium negotiis urgetur, intus Dei arcana considerat, foris onera carnalium portat, exemplum rectoribus præbens, ut cum foris abigunt quid disponant, Dominum per orationem consulant. » Idem, lib. VI in *I Regum* cap. III, ait Mosem tam plenum fuisse spiritu, ut de ejus spiritu Dominus tulerit, et septuaginta rectoribus populi communicarit. Idem, hom. 16 in *Ezech.*, Mosen in scientia Dei præfert Abrahamæ. Nec id mirum, Mose enim ait Deus : « Apparui Abraham, Isaac et Jacob, et nomen meum Adonai (Jehova) non indicavi eis, » quod tibi, o Moses, indico et revelo.

Porro Moses expressus fuit Christi index et typus ; adeoque sicut sol diem, luna noctem illuminat, ita Christus Christianos in lege nova, Moses Judeos in veteri illuminavit. Quocirca pulchre Christum soli, Mosen lunæ comparat Aseanius

Ex Eusebio.

Martinengus in *Gen.*, tom. I, pag. 3, in fine et seq. Nam primo, legislator fuit Moses Pentateuchi, Christus Evangelii ; secundo, Moses duos singulares habuit congressus cum Deo : primum cum primas legis tabulas in Sina a Deo accepit, alterum cum secundis, tuncque rediit coruscante et quasi cornuta facie. Hæc testimonia dedit ei Deus. Similia duo dedit Christo : prius in baptismo, cum descendit in eum Spiritus Sanctus specie columbæ, voxque e cælo audita est ; posterius, cum transfiguratus est in Tabor, atque testimonium ei dederant Moses et Elias, hoc est, lex et propheta. Tertio, Moses stupendas plagas et miracula fecit in Ægypto : majora patravit Christus. Quarto, Moses Deum allocutus est, sed in caligine, viditque eum a tergo ; Christus vero facie ad faciem. Quinto, Moses audivit a Deo : « Invenisti gratiam apud me, et novi te ex nomine ; » Christus audivit a Patre : « Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacuit, ipsum audite. »

Audi Eusebium, lib. III *De Demonstr. Evang.*, qui ex Mosis et Christi gestis mirificam compaginam antithesin, cujus verba proluxa in pauca contraham.

1. Moses fuit legislator Judaicæ gentis, Christus totius universi.

2. Moses idola Hebræis abstulit, Christus ea ex omni fere plaga mundi eiecit.

3. Moses mirificis portentis legem contulit, majoribus Christus Evangelium condidit.

4. Moses suos in libertatem vindicavit, Christus generis humani jugum excussit.

5. Moses terram tententium lac et mel patefecit, Christus præstantissimam viventium terram reservavit.

6. Eusebii infans Moses vix natus Pharaonis sævitia, qui mares Judaici populi ad necem damnarat, vite discrimen subit, Christus infans a Magis adoratus, ob Herodis immanitatem pueros trucidantis, in Ægyptum secedere est coactus.

7. Moses adolescens omnium disciplinarum eruditione claruit, Christus duodecim annorum legisperitos eruditissimos in stuporem adduxit.

8. Moses quadraginta diebus jejuniis divino eloquio pastus est, per quadraginta perinde dies Christus non manducans, neque bibens, divinæ contemplationi vacavit.

9. Moses in deserto famelicis manna et coturnices præbuit. Christus in deserto quinque panibus virorum quinque millia saturavit.

10. Moses inter Arabici sinus aquas illæsus transit, Christus super maris undas ambulavit.

11. Moses extensa virga mare divisit, Christus increpat ventum et mare, et facta est tranquillitas magna.

12. Moses in monte rutilanti facie splendidus apparuit, Christus in monte fulgentissimo aspectu transfiguratus est, cujus facies resplenduit sicut sol.

13. In Mosen non poterant filii Israel oculorum aciem intendere, ante Christum discipuli in facies suas perterriti ceciderunt.

14. Mariam leprosam ad pristinam sanitatem restituit Moses, Mariam Magdalenam, criminum maculis obrutam, gratia cæcæsti abluit Christus.

15. Mosen Dei digitum appellarunt Ægyptii, de seipso Christus prodidit : « Porro si in digito Dei ejicio dæmonia, » etc.

16. Selegit Moses 12 exploratores, 12 Apostolos et Christus elegit.

17. Moses 70 Seniores, Christus 70 Discipulos autoravit.

18. Jesum Nave successorem sibi destinavit Moses, Petrum ad summum pontificatum post se extulit Christus.

19. De Mose scriptum est : « Non cognovit homo sepulcrum ejus usque ad presentem diem ; » de Christo contestati sunt angeli : « Jesum quaeritis crucifixum ? surrexit, non est hic. »

Audi S. Basilium, hom. 1 in *Hexæm.* : « Moses etiam dum ad matris ubera pendens, Deo amabilis et gratosus fuit, ipse prælegit calamitates ærumnasque cum Dei populo experiri, quam temporaria voluptate cum peccato perfrui. Justi et æqui fuit amatissimus et observantissimus, improbitatis et injustitiæ hostis acerrimus ; in Æthiopia (in Madian) quadraginta annos contemplationi vacavit, octoginta annos natu vidit Deum, quoad videre potest homo ; hinc de eo ait Deus : Ore ad os loquar ei in visione, et non per enigmata. »

Audi S. Gregorium Nazianzenum, orat. 22, qua S. Basilium, ejusque fratrem Gregorium Nyssenum comparat Mose et Aaroni : « Quis legislatorum illustrissimus ? Moses. Quis sacerdotum sanctissimus ? Aaron. Non minus pietate, quam corporibus fratres : vel potius, ille quidem Pharaonis Deus, et Israelitarum antistes et legislator, et nubem ingrediens, et divinatorum arcanorum inspector et arbiter, et tabernaculi illius veri fabricator, quoad a Deo, non ab homine constructum est ; ille principum princeps, et sacerdotum sacerdos, Aaron pro lingua utens, etc. Ambo Ægyptum vexantes, mare scindentes, Israelæm gubernantes, hostes demergentes, panem superne trahentes, aquas concutantes, ad terram promissionis iter comonstrantes. Fuit ergo Moses principum princeps, et sacerdotum sacerdos, » etc.

Audi S. Hieronymum, qui initio *Commentariorum in epist. ad Galatas*, Mosen non tantum Prophetam, sed et Apostolum fuisse docet, idque ex communi Hebræorum sententia.

Audi Philonem Hebræorum doctissimum : « Hæc Ex F. est vita, hic exitus Mosis, regis, legislatoris, pontificis, prophete, » lib. III *De Vita Mosis*, in fine.

Audi Gentiles. Numerius apud Eusebium, lib. IX *De Preparat. Evangelica*, cap. III, asserit Platonem et Pythagoram Mosis dogmata esse sectatos, adeoque quid est, ait, Plato, nisi Moses Al-

78.
Ex S.
Basilio.

Ex S. Nazianzeno qui S. Basilium et Nyssenum cum parat Mose et Aaroni.

Ex S. Hieronymo.

Ex F. lose.

79.
Ex den. tibus. Plato est

Moses
Attiles.
Moses di-
ctus Mer-
curius.
Sax?

licus? His adde Eupoleum et Artapanum, qui (apud Eusebium ibid., cap. iv) aiunt, Mosen Ægyptiis litteras tradidisse, aliaque multa ad commune bonum insituisse, et propter sacrarum litterarum interpretationem, Mercurium appellatum, indeque factum esse, ut ab ipsis quasi Deus coleretur.

Ptolomæus Philadelphus (ut testatur Aristæa de 73 Interpretibus), audita lego Mosis, dixit ad Demetrium: «Cur tanti operis nullus historiographus aut poeta meminit?» cui Demetrius: «Quia ista lex est sacrorum, divinitus lata; et quia nonnulli aggressi sunt, sed divina plaga terribi, ab instituto destiterunt.» Atque illico exempla subjungit de Theopompo historico, et de Theodecte tragico poeta, quæ superius commemoravi.

Diodorus historicorum omnium probatissimus, inquit S. Justinus in *Admonit. ad Gentes*, sex priores ponit leges, et primum omnium Mo-sen, quem ait fuisse magno animo virum, et probatissima vita celebratum, de quo et subdit: «Apud Judeos quidem Mosen, quem vocant Deum, sive ob admirabilem divinamque notionem, quam decernit hominum multitudini profuturam, sive ob excellentiam et potestatem, quibus vulgus ipsum susceptæ legi libentius obsequitur. *Secundum* inter legis positores Ægyptios Sanchiniam fuisse commemorant, insignem prudentia virum. *Tertium* Sesonchiosin dicunt regem, qui non modo inter Ægyptios bellicis negotiis præcelluerit, sed et bellacem gentem legum positione frænaverit. *Quartum* Bachorim statuunt, et eundem regem, quem memoria prodiderunt et de modo regnandi, et de domestica dispensatione Ægyptiis præcepisse. *Quintus* fuit Amasis rex. *Sextus* dicitur Xerxis pater Darius Ægyptiis legibus addidisse.»

Denique Josephus, Eusebius et alii tradunt Mosen omnium, quorum scripta nunc exstant, vel quorum nomen in Gentium scriptis profuturum est, primum fuisse Theologum, philosophum, poetam et historicum. Quocirca mira fuit non tantum apud Judeos, sed et Gentiles Mosis veneratio. Narrat Josephus, lib. XY. cap. iv, militem quemdam Romanum Mosis libros lacerasse, mox Judeos concurrens ad Præsident Romanum Cumanum, flagitantes ut non suam, sed lesi Numinis ulcisceretur injuriam. Quare Cumanus militem violatorem legis securi ferit.

Porro hæc veneratio et martyriis et miraculis illustrata est. Cum Maximianus et Diocletianus edicto juberent sibi tradi libros Mosis, aliosque sacræ Scripturæ, ad exurendum, resisterunt fideles, mori malentes quam eos tradere. Quare multi pro sacris libris gloriosum certamen obierunt, et victricem martyrii lauream adepti sunt. Cum autem Fundanus Alutiniensis olim Episcopus, metu mortis sacros libros tradidisset, et magistratus sacrilegus eos igni apponeret, subito imber sereno celo diffusus est, ignis sacris libris admotus extinctus est, grandio subsecuta, omnisque regio ipsa pro sacris libris elementis furentibus devastata est, uti habent acta S. Saturnini, quæ extant apud Surium, 11 februarii.

Aspice nos, quæso, sancte Moses, qui eminus quondam in Sina glorie Dei, cominus vero in Tabor glorie Christi speculator fuisti, nunc autem facie ad faciem utraque perforeris. Porrigere manum ex alto, sapientiæ tuæ flumina in nos deriva, et æterni illius luminis vel scintillam ope, votis et meritis tuis nobis imperti; impetra a Patre lumen, ut ad sua hæc Pentateuchi sacra, nos vermiculos suos inducat, det ut in Scripturis suis eum agnoscamus; det ut tantum diligamus, quantum cognoscimus; nec enim cupimus eum cognoscere, nisi ut diligamus, utque ejus amore accensi, velut faces, et alios, totumque orbem accendamus. Hæc enim est scientia sanctorum: ipse enim est amor et timor noster, ipsum unum omnia nostra spectant, ipsi nos et omnia nobiscum devovimus. Denique due nos ad Christum, qui est finis legis tuæ; ut ipse studia nostra, conatusque omnes ad ejus cui omnis creatura laudem dicit, gloriam, in Ecclesiæ ejus regno jam militante, deprecandam, et aliquando in victrici coelitus choro, tecum a nobis omnibus tui studiosis, in omnem æternitatem, uti spero, suavissime felicissimeque concinendam, regat, secundet et ad finem usque perducat. Ibi stabimus super mare Jitreum, quotquot bestiam vicimus, «cantantes canticum Mosis, et canticum Agni, dicentes: Magna et mirabilia sunt opera tua, Domine, Deus omnipotens; justie et veræ sunt viæ tuæ, Rex sæculorum; quis non timebit te, Domine, et magnificabit nomen tuum? quia solus pius es.» Apoc. XV. 3; quia elegisti nos, quia fecisti nos reges et sacerdotes, et regnabimus in sæcula sæculorum. Amen.

40.
Oratio
Andree
ad Ma-
ria.

COMMENTARIA

IN

PENTATEUCHUM MOSIS.

ARGUMENTUM.

Hebræi, teste S. Hieronymo in Prologo galeato, tot numerant libros S. Scripturæ, puta veteris Testamenti, quot habent ipsi litteras, puta viginti duos, eosque in tres classes dividunt: scilicet in תורה *thora*, id est *legem*: כְּתוּבִים *ketubim*, id est *prophetas*: ספרים *sepharim*, id est *hagiographa*. *Thora* sive *lex* complectitur Pentateuchum, puta *Genesim*, *Exodum*, *Leviticum*, *Numeros* et *Deuteronomium*, qui ita non a Mose, ut vult Philo, sed a Septuaginta Interpretibus divisi et nuncupati sunt, cum antea unus esset liber legis.

Prophetas duplices numerant, priores et posteriores: priores vocant Josue, Judicum, Ruth et quatuor libros Regum; posteriores recensent Isaiam, Jeremiam, Ezechielem et duodecim minores prophetas.

Hagiographa numerant Job, Psalmos, Proverbia, Ecclesiasten, Canticum Canticorum, Daniel, libros Paralipomenon, Esdras et Esther.

Pentateuchus, id est quintuplex hoc volumen Mosis, est chronicon mundi. Ejus enim argumentum est texere historiam et chronologiam mundi, ac gesta patriarcharum a prima mundi creatione usque ad mortem Mosis. In Genesi enim Moses perterritus a principio creationis mundi, et gesta Adami, Evæ, Noe, Abrahamæ, Isaac, Jacobi et aliorum usque ad mortem Josephi. In Exodo per-seutionem Pharaonis, indeque decem plagas Ægypti, egressum Hebræorum ex Ægypto, et peregrinationem per desertum; ubi in Sina decalogum veterasque leges a Deo acceperunt. In Levitico describuntur sacra et sacrificia, cibi vetiti, festa, alique ritus, lustrationes et caeremonie, tam populi quam Sacerdotum et Levitarum. In Numeris numeratur populus, principes et Levite, item quadraginta due mansiones Hebræorum, eorumque æque ac Dei gesta in deserto; insuper recensetur propheta Balaam, ac bellum Hebræorum cum Madianitis. Deuteronomium, sive secunda lex, repetit et inculcat Hebræis leges antea in Exodo, Levitico et Numeris a Deo per Mosen datas.

Auctor
Moses.

Nota primo. Auctor Pentateuchi est Moses: ita docent omnes Græci et Latini, imo ipse Christus, ut patet Joan. i, 17 et 48; Joan. v, 46, et alibi.

Porro Moses antiquior fuit, et tempore longe præcessit omnes Græcæ et Gentilium sapientes, puta Homerum, Hesiodum, Thales, Pythagoram, Socratem, et his seniores Orpheum, Linum, Musæum, Heracleum, Escalapium, Apollinem, quin et ipsum Mercurium Trismegistum, qui omnium fuit antiquissimus. Hæc enim Mercurius Trismegistus, ait S. Augustinus, lib. XVIII *De Civit.* xxxix, nepos fuit majoris Mercurii, cujus maternus avus Atlas astrologus, et æqualis Promethæi, eo tempore floruit quo vixit Moses. Ubi adverto Mosen Pentateuchum simpliciter conscripsisse, per modum diarii vel annalium; Josue tamen, vel quem similem eosdem hos Mosis annales in ordinem digessisse, distinxisse, et sententias nonnullas addidisse et intexuisse. Sic enim in fine Deuteronomii mors Mosis, eo utique mortuo, a Josue vel alio quopiam additur et describitur. Sic non a Mose, sed ab alio quopiam, ut videtur, laus mansuetudinis Mosis intertexta est *Num. XII. 3*. Sic *Genes. XIV. 15*, urbs Laïs vocatur *Dan*, cum diu post tempora Mosis vocata sit *Dan*, quare nomen *Dan* ibi pro *Laïs* substitutum est, non a Josue, sed ab alio qui posterius vixit. Sic *Num. XXI*, ab alio pariter additi sunt vers. 14, 15, 27. Pari modo Josue mors ab alio addita est, *Josue* cap. ult., vers. 29. Pari modo propheta Jeremie a Baruch digesta, et in ordinem redacta est, uti ostendam præfatione in Jeremiam. Sic et parabole Salomonis, non ab ipso, sed ab aliis, ex ejus scriptis congeste et digestæ sunt, ut patet *Proc. xxv. 1*. Porro Moses hæc partim traditione, partim divina revelatione, partim oculari inspectione didicit et accepit: nam quæ in Exodo, Levitico, Numeris et Deuteronomio narrat, ea præsens ipse vidit et gessit.

Nota secundo. Scripsit Genesim Moses, cum exul egeret in Madian, *Exodi II. 13*, ait Pererius, idque ad consolationem Hebræorum, qui in Ægypto a Pharaone opprimebantur. Verum melius sentiant Theodoretus, Beda et Tostatus (a quibus non dissentit Eusebius, lib. VII *De Prepar.* cap. II, si verba ejus accurate expendantur) tam Genesim, quam quatuor sequentes libros a Mose scriptos esse post egressum Hebræorum ex Ægypto, cum

Moses scripsit hæc in deserto.

Moses scripsit hæc in deserto.